



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

II. An eadem materia possit duplicem formam impossibilem diuinitus  
recipere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



immediatè attingit: sed quod attingit immediatè media vnione est materia: ergo causaret immediatè materiam: hanc non causat: ergo nihil. Ad hæc facit illud argumentum quod efformabam num. 6. Vnio non dependet tanquam à causa à forma: ergo non est propria causalitas respectu illius. Demum si forma esset vera causa quatenus componit, materia quæ similem causalitatem haberet etiam quatenus componens, haberet duplex genus cauſandi, vnum media passione per modum recipientis, aliud mediâ vnione per modum componentis, quæ cauſarum genera maximopere ex causalitatibus differunt, & ita multiplicarentur cauſarum genera respectu cauſarum, quibus propriè, & strictè ratio cauſæ conueniret, quod nullus hucusque concessit. Neque poteris eadem vi argumentum retorquere in meam sententiam, ex qua non infertur minui numerum generum cauſarum propriarum, si forma non sit vera cauſa, quia forma potest dici cauſa propria respectu expulſionis aliis formæ, etſi non dicatur cauſa compositi, quod autem vna forma aliam non expellat physicè, sed moraliter, inconueniens non est, quia finalis cauſa intra numerum, quatuor cauſarum continetur, & non physicè sed moraliter inſiſtit. Accedit plurimos negare cauſæ finalis propriam rationem cauſæ, quapropter nouum non eſſet aſſerere non dari quatuor genera cauſarum propriarum; aſſerere autem materiam pertinere ad duplex genus cauſæ, & dari quinque cauſarum, genera, etiam exceptâ exemplari cauſâ, eſt contra communem omnium ſententiam. Contra hunc dicendi modum nihil momenti adduci poſſe exiſtimo, neque in re differt à communi ſententia, cum non negetur materiam, & formam intrinſecè totum componere, & eſſe partes illius eſſentiales mediâ vnione totum conſtituentes.

PUNCTUM II.

*An eadem materia possit duplicem formam incomp. & c. §. I.*

**H**æc difficultas in præſenti propriè locum ſibi vendicat, vbi de cauſa materiali, & formali ſimul ſermonem inſtituimus, eſt enim vtrique communis: Inquirimus, an eadem materialis cauſa poſſit ſimul ſubſeſſe diuinâ intercedente potentia duabus formis ex ſe incomp. ſibilibus, quod eſt idem ac inquirere an duæ cauſæ formales, poſſint materiam habere communem, & illi inefſe, eodemque iure pertinet hæc difficultas ad tractatum de cauſa materiali, & formali.

§. I.

*Nonnulla pramittuntur.*

**D**uplicem reſpectum dicit materia ad formam, quemdam media paſſione, alium media vnione. De vtroque ſub præſio titulo venit diſputatio: an videlicet materia poſſit media receptione duplicem formam ex ſe incomp. ſibilem pati, ſeu recipere, & an poſſit eidem duplici formæ, ſue receptæ in materia, ſue non receptæ, ſed per creationem productæ vniri, ita vt cum qualibet illarum vnum compositum conſtituat, quod à composito, quod cum altera componit differat ratione formæ, & in materia communicet. Quæſtiones hæc inter ſe ſunt valde affines, quæ promiſcuè abſque diſtinctione vulgò agitantur, de illis tamen ego diuerſum feram iudicium, quapropter multum reſert præ oculis ſemper habere hanc diſtinctionem receptionis, & vnionis, mediis quibus forma diuerſo modo ſubiectum reſpicit.

**O**portet etiam animaduertere ex diuerſis capitibus poſſe dimanare incomp. ſibilitatem naturalem, ſeu naturaliter non poſſe eſſe duplicem formam in eadem materia media vnione, vel receptione. Primo potest procedere ex luſta quam inter ſe habent hæc formæ, quarum vna ſemper aliam expugnat propter inimicitias, quas cum illa gerit, etiamſi aliâ ſubiectum in ſuo gremio ex ſe vtramque ſimul amplecti non reueretur, quia non eſſet ſupra ſuam virtutem, causalitatem, vel vnionem vtriusque terminare, ſi ipſæ formæ inter ſe non mutuè digladiarentur, ita vt tota ratio, propter quam formæ ſimul eſſe non poſſunt ſumatur ex mutua exigentia, quam quilibet habet, vt illa poſita corrumpatur altera, nulla habita ratione ad defe-

ctum virtutis, ſeu capacitatis, quem habeat ſubiectum ad vtramque formam ſimul fouendam. Poſſet ſecundò dimanare incomp. ſibilitas formarum ex incomp. ſibilitate diſpoſitionum, quas vtraque ſupponit, quæ cum non poſſint ſimul eidem ſubiecto coaptari extrinſecè reddent formas ad quas diſponunt incomp. ſibiles, etiamſi quilibet ratione ſui poſſet alteram abſque vlla violentia comitari. Tertiò potest incomp. ſibilitas procedere ex incapacitate materiæ quæ ex ſe impotens ſit ad recipiendas ſimul duas formas, quia ita eſt potens vtramque ſucceſſiue recipere, vt illas ſimul capere non poſſit. Poſſet quartò materia non poſſe naturaliter aliquam formam recipere ex defectu agentis naturalis, quia nullum non ſupernaturale poterit illam producere. Hæc incapacitas præciſe ex defectu orta agentis non eſt reſpectu ſimultatis formarum, ſed reſpectu alicuius, quæ non poſſit neque ſimul, neque ſucceſſiue ab agenti produci, quia ſi agens poſſet ſucceſſiue vtramque producere, & ſubiectum poſſet vtramque ſimul fouere, & vna non propulſaret alteram, duo agentia numero diſtincta poſſent duplicem hanc formam in eodem ſubiecto producere, vel vnum, poſtquam vnam produxiſſet, poſſet ceſſare ab illius conſeruatione, & producere alteram in eodem ſubiecto, ſi vtramque ſimul producere non poſſet, & ita naturaliter eſſet duplex forma in eodem ſubiecto.

**S**tatio primò: Si repugnantia recipiendi mediâ inhæſione, vel terminandi mediâ vnione duplicem formam, proueniat ex incapacitate ſubiecti, de potentia Dei abſoluta non poterit ſuppleri à Deo, neque ſubiectum duplicem amplecti formam. Rationem reddo à priori deſumptam ex P. Valquez, quem poſtea dabo. Capacitas, & incapacitas reſpiciendi formas non diſtinguitur à ſubiecto capaci, & incapaci: ergo permanente eodem ſubiecto permanet eadem capacitas, vel incapacitas: ergo ſi hoc ſubiectum eſt incapax recipiendi duplicem formam ſue mediâ inhæſione, ſue mediâ vnione, vel informatione, non potest fieri adhuc ſupernaturaliter capax, quia quidquid Deus miraculoſè operetur, permanet idem ſubiectum: ergo eadem incapacitas; permanente verò incapacitate non potest recipere duplicem formam, quia ſi illas reciperet, eſſet capax, valet enim conſequentia de actu ad potentiam: ergo eſſet capax, & eſſet incapax; capax quia reciperet, incapax quia eſſet idem ſubiectum, quod per ſuam entitatem incapax erat.

**S**ecundò probatur eadem conſuſio: Subiectum recipit in genere cauſæ materialis, ſed in hoc genere nulla potest eſſe eleuatio: ergo ſi ſubiectum ex ſe non eſt capax, non potest capax fieri à Deo: idem dices de effectu cauſæ formalis, ſue intrinſecæ, ſue extrinſecæ, qui non potest ſuppleri à Deo, propter rationem, quam iam trado. Deus tantum operatur in genere cauſæ efficientis: ergo non potest per ſe ipſum ſupplere defectum cauſæ materialis, vel formalis. Probo conſequentiam: hæc cauſarum genera ſunt inter ſe valde differentia. ergo per influxum, quem præſtat cauſa in hoc genere non potest ſuppleri defectus influxus præſtandi in alio genere diuerſo. Conſirmatur: agere non eſt pati: ergo per nullam actionem Dei potest adiuuari materia, vt patiatur formam, quam ipſa ex ſe non potest pati, neque vt terminet vnionem formæ; quam ſubiectum ex ſe non potest terminare, actio enim produciens formam, vel vnionem, tantum producit id, quod eſt recipiendum, vel terminandum, capacitas autem ad determinandum debet ſupponi ex vi actionis, quæ ſubiectum, quod præſupponitur ſuit productum identiſicatum cum ipſa capacitate.

**D**ices: Deum in genere cauſæ efficientis ſupplere defectum cauſæ materialis: Contra: vel Deus ſupplet hunc defectum cauſæ materialis præſtando ſimilem influxum illi quem præſtat, ſeu præſtaret cauſa materialis, & hoc implicat, quia Deus non potest pati formam, neque illi ſe vnire tamquam ſubiectum informationis: vel ſupplet defectum cauſæ materialis talem influxum actiuum præſtando, vt neceſſarius non ſit influxus cauſæ materialis, & hoc modo materia non recipiet formam, neque erit ſubiectum illius, ſed Deus per creationem conſeruabit formam independentem à materia, per quam creationem materia non erit eleuata ad receptionem ſed potius ab illa remota, de quo non eſt quæſtio, ſed an Deus poſſit facere vt duplex forma dependentem à materia tamquam à ſubiecto inhæſionis conſeruetur in eadem materia recepta. Quod dixi



de subiecto inhaesionis eodem modo intellige de subiecto informationis, eadem enim est ratio de utroque.

7 Dices materiam primam esse capacem recipiendi duplicem formam simul, & terminandi utriusque vnionem supernaturaliter, non verò naturaliter. Contrà: illud naturaliter vel supernaturaliter, vel se tenet intrinsecè ex parte potentiae materiae, vel tantum extrinsecè, quia licet potentia ad simultatem horum actuum ex se naturalis est, dicitur extrinsecè supernaturalis, quia illorum simultas propter contrarietatem, seu oppositionem actuum erit supernaturalis. Primum dici nequit, quia naturalitas, & supernaturalitas non potest eidem entitati intrinsecè euenire: sed materia prima est vna entitas simplex, & indiuisibilis: ergo non potest illi naturalitas & supernaturalitas conuenire, neque potest habere potentiam intrinsecè supernaturalem recipiendi formas, cum hæc debeat esse identificata cum sua naturali entitate, & nihil supernaturale possit identificari cum entitate naturali. Si dicas illam supernaturalitatem esse extrinsecam materiae, tecum sentio: sed in hoc sensu cum dicitur materia non potest recipere duplicem formam naturaliter, quam poterit supernaturaliter recipere, impotentia recipiendi naturaliter illas formas non est intrinseca materiae, sed extrinseca, quia tantum dicit nullum agens naturale posse illas simul conseruare in eadem materia propter impossibilitatem, quam ex se habent formas, non quia ipsa materia ex se virtutem non habeat, quia si agenti naturali virtus actiua superueniret ad conseruandam simul vtramque formam in eadem materia non obstante oppositione ipsarum, materia prima intrinsecè inuariata absque vlla eleuatione naturaliter vtramque formam reciperet, ac proinde in hoc sensu idem est dicere materiam primam non posse recipere duas formas simul, ac dicere me non posse ditari ab homine paupere, quod non est me habere aliquam incapacitatem recipiendi diuitias, sed pauperem non habere facultatem illas mihi tribuendi.

8 Iuxta hanc doctrinam intelliges hanc esse optimam consequentiam, materia prima non potest recipere hanc formam, vel simul duplicem aliam naturaliter: ergo neque supernaturaliter, si illud non potest se teneat ex parte materiae, & non ex parte agentis connotati per illam particulam naturaliter. Vnde cum dicimus animum rationalis non potest naturaliter recipere gratiam, tantum intendimus significare nullum esse agens naturale, quod possit gratiam habitualement in animo rationali producere, ex quo prouenit animum rationale non posse ab agente naturali gratiam recipere, sed necessariò illam recepturum (casu quo illam recipiat) ab agenti supernaturali per receptionem supernaturalem ratione agentis, à quo procedit, non verò intendimus significare animum rationale ex se habere aliquam incapacitatem intrinsecam, vel aliquem defectum circa id, quod præcisè ex parte subiecti requiritur, quod debeat suppleri à Deo ad receptionem gratiae supernaturalis, quia animus rationalis etiam ex se gratiam supernaturalem non exigit, illam poterit recipere per suammet entitatem, & virtutem intrinsecè naturalem, si Deus velit gratiam aliàs indebitam supernaturaliter illi infundere. Semper tamen dicitur animum rationale supernaturaliter gratiam recipere, & numquam naturaliter, quia semper illius receptio connotat agens supernaturale, & ratione termini intrinsecè est supernaturalis, etiam si ex parte subiecti, in quo recipitur nullam supponat virtutem supernaturalem, ad hoc enim ut receptio absolute sit supernaturalis non requiritur terminum recipere per potentiam passiuam supernaturalem, sed sufficit ab agenti supernaturali procedere.

9 Statuo secundò. Si repugnantia naturalis, propter quam idem subiectum non possit recipere simul duplicem formam, vel vtrâque simul informari, procedat tantum ex mutua utriusque pugna, vel ex contrarietate dispositionum, quas supponunt, poterit Deus supernaturaliter vtrâque formam in eodem subiecto informationis, & receptionis copulare. Ratio est facilis. Vna forma tantum expellit aliam quatenus petit, ut Deus subtrahat concursum, quo illam conseruabat, sed supposita quacumque exigentia subtractionis concursus, potest Deus illam non subtrahere: ergo supposita forma exigente corruptionem alterius poterit Deus alterum, cuius hæc corruptionem exigebat conseruare: exigentia enim causae corruptionem exigebat cogere Deum ad illud, quod exigitur præstandum, ita

vt non possit causae exigenti non annuere: ergo quando repugnantia oritur præcisè ex pugna formarum poterit vnicui à Deo: quando oritur ex impossibilitate dispositionum facilius res componi poterit, quia sicut Deus formas substantiales inter se pugnantes potest in eodem subiecto continere, eodem modo poterit formas accidentales, seu dispositiones ad duplicem formam inter se impossibiles in eodem subiecto conseruare, sicut conseruat plures praesentias, quas habet Christus Dominus in Eucharistia, quarum quilibet cum altera habet naturalem impossibilitatem: ergo simul conseruatis dispositionibus ad vtramque formam iam ex hoc capite formarum simul non repugnaret. Demum potest Deus formam substantialem absque vlla dispositione saltem supernaturaliter conseruare: ergo etiam in eodem subiecto non possent componi dispositiones ad duplicem formam (quod facile posset defendere, si diceret quamlibet formam substantialem supponere tamquam propriam dispositionem carentiam dispositionum ad aliam, de quo modò nihil trado) ex hoc capite non repugnaret respectu omnipotentiae multas formarum in eodem subiecto.

Obiic. Vna forma expellit aliam per informationem: ergo posita informatione non potest illam non expellere. sicut posita actione, per quam effectus producitur implicat non produci. Distinguo amecedens: vna forma expellit aliam per informationem in actu primo, concedo: in actu secundo, nego. hoc est forma alterius expultrix per informationem exigit à Deo, vt Deus subtrahat concursum, quo subtrahito non erit inimica forma, cuius non esse machinatur, & hoc voco expellere in actu primo, hoc est intendere in expulsiōnem, seu in non vñe formæ expellendae; expulsio tamen tantum contingit quando Deus ad exigentiam formæ informantis subtrahit concursum, quo formam antiquam conseruabat, quæ subtrahitio est casualitas non esse formæ antiquæ, & dicitur expulsio, quando contingit ad exigentiam formæ introductæ, quæ non expellitur physicè, sed moraliter media voluntate Dei per subtractionem concursus, quo Deus antiquam formam conseruabat, de quo latè punct. 3 §. 2.

Obiic. secundò. Deus non potest facere vt forma, quæ ex se est naturaliter impossibilis cum alia, compossibilis fiat supernaturaliter, quia compossibilitas, & impossibilitas identificantur cum entitate formarum, & eisdem permanentibus semper remanent cum eadem compossibilitate, vel impossibilitate. Respondeo de compossibilitate intrinseca rectè probare argumentum, me tamen non afferere Deum posse facere compossibiles intrinsecè duas formas ex se impossibiles, quia etiam si Deus illas conseruet in eodem subiecto adhuc remanent impossibiles, quia vtrâque remanet cum exigentia ad corruptionem alterius, in qua impossibilitas consistit, non enim requiritur ad hoc vt formæ sint impossibiles, vt non coniungantur, neque vt non possint absolute coniungi, sed ne possint coniungi absque repugnantia utriusque, contra quam agens vtrâque conseruabit, quia etiam quando sunt simul mutuo, illarum quilibet exigit non esse alterius in eodem subiecto.

Statuo vltimò: Quando materiam non posse recipere naturaliter hanc formam, vel duplicem illam simul, tantum prouenit ex defectu virtutis agentis, supernaturaliter poterit vnica, vel duplicem formam recipere, quia nullus effectus repugnat produci à Deo ex defectu virtutis Dei, ergo effectus in quo producendo nulla potest inueniri repugnantia præter defectum virtutis productiue poterit produci à Deo, cuius virtus est infinita, & se extendit ad omnia, quæ ex alio capite non implicant.

## §. II.

De formis substantialibus indicium fero.

13 Pater Vasquez 3 part. disput. 29. cap. 4. num. 23. cum Capreol. in 1. distinct. 17. quæst. 2. & aliis Thomistis negat posse materiam adhuc supernaturaliter plures formas substantiales recipere. Affirmat P. Suarez in Metaph. disp. 15. sect. 10. num. 6. P. Fonseca 5. Metaph. cap. 4. quæst. 4. sect. 5. ad 3. P. Rub. 2. Physic. tractat. de forma. P. Hurt. disp. 4. sect. 3. num. 39. Præmissa semper distinctione subiecti inhaesionis, & informationis aliquibus conclusionibus meam sententiam aperiam.

14 PRIMA CONCLUSIO. Possibilis est materia ex se capax recipiendi



recipiendi duplicem formam substantialem media inhesionem, & media informatione, etiamſi formæ secundum se sint incompoſibiles. Ex hoc inferitur conſequenter ad dicta §. præcedenti, præcipue num. 7. poſſe de potentia Dei abſoluta duplicem formam informare ſimul talem materiam, & recipi in illa de potentia Dei abſoluta. Hanc conſolutionem recte probant rationes à Suar. adductæ pro ſua ſententia, quarum præcipua eſt, nullam ſequi contradictionem ex exigentia talis materiæ, & ex ſimultate receptionum, & informationum in illa; non enim vna forma eſſet de eſſentia alterius, neque vna forma pertineret ad eſſentiam compoſiti, quod altera conſtitueret, quod ſic oſtendo. Demus vnam eſſe formam ligni, alteram formam auri, neque aurum eſſet lignum, neque lignum aurum, quia neutrum alterius formam includeret: lignum enim, eſſi materiæ auri includeret, aurum non eſſet, quia aurum non tantum dicit materiæ, ſed eſſentialiter includit formam. Idem dico de auro, quod materiæ ligni includeret, non tamen eſſet lignum. Verum eſt illa duo compoſita non diſtinguenda adequatè, quia habent eandem numero materiæ, quod nullum eſt inconueniens, quia ſicut compoſita accidentalibus, quorum ſubiectum eſt idem, & maior in modo ſignificandi, quia compoſita accidentalibus cum tantum dicant in recto ſubiectum, & non formam, ſi ſubiectum eſt idem, totum quod dicunt in recto eſt idem, & ideo poſſunt prædicari, & dici, *album eſt dulce*, compoſita verò ſubſtantialiter cum dicant æquè in recto materiæ, & formam, etiamſi habent eandem materiæ communem, non habent commune totum id, quod dicunt in recto, & ita non poſſunt mutuò prædicari, neque dici *aurum eſt lignum*, vel *lignum eſt aurum*, ratione ſubiecti communis.

15 **SECUNDA CONCLVSIO.** Materia illa, de qua loquuti ſumus conſolutione præcedenti, duplicem illam formam recipere per potentiam naturalem, & ratione illius potentia non diceretur ſupernaturalis. Hæc conſolutio conſtat ex dictis ſupra, ubi probati hanc illationem eſſe legitimam: materiæ ex ſe non poſſet recipere duplicem formam ſubſtantialem naturaliter: ergo neque ſupernaturaliter poterit illas recipere: ergo ab oppoſito conſequentis valebit ad oppoſitum antecedentis: materiæ prima recipit ſupernaturaliter duplicem formam: ergo quatenus eſt ex ſe per potentiam naturalem, & per ſuam entitatem poſſet utramque recipere. Extrinſecè materiæ dicitur ſupernaturaliter recipere formas, quia receptio ſupernaturalis erit non ratione materiæ, ſed ratione formarum incompoſibilium, quas nullum agens naturale poſſet ſimul in eadem materiæ conferre, & non poſſet dici materiæ naturaliter recipere tales formas, quia ut ita diceretur illas recipere neceſſum erat receptionem ex omni capite eſſe naturalem, & non ſufficiat, illam exerceri per potentiam paſſiuam naturalem, & ex hac non eſſe ſupernaturalem, ſicuti dici nequit animum rationalem naturaliter gratiam recipere, etiamſi receptio ſupernaturalis non fit ratione ſubiecti recipientis, & hoc ſecundum ſe, & ſecundum ſuam virtutem receptiuam cum illo identificatam intrinſecè fit naturale.

16 **TERTIA CONCLVSIO.** Poſſet dari materiæ potens ex ſe terminare duplicem vnionem, ex cuius potentia non poſſunt ſimul educi formæ illæ, quæ eidem poſſunt vniri. Prior pars conſolutionis in conſolutione 1. continetur. Poſterior probatur: poſſe terminare vnionem ad formam, & poſſe illam recipere, in aliqua materiæ poſſunt realiter ſeparari, ſicuti de facto ſeparantur in materiæ, quæ modo eſt reſpectu animæ rationalis, cuius vnionem poſſet terminare, eſſi non poſſit illam recipere: ergo ex eo quod materiæ poſſit vniri ſimul duplici formæ non inferitur poſſe utramque recipere: ergo poſſet dari materiæ, quæ poſſit vnire ſibi formam, quam recipere non poſſet. Deinde nulla eſt repugnantia in eo, quod detur talis materiæ: ergo poterit dari. Idem dico de modis vnionum qui poſſunt eſſe informationes materiæ, & non educi ex illa, ſed ex forma, vel creati à Deo, modus enim vnionis non eſſentialiter dependet à materiæ tanquam à ſubiecto inhesionis, imò ſi hic, qui de facto datur dependet per ſe ipſum, non implicaret dari modum alium, qui poſſet creati ſine dependentia à materiæ tanquam à ſubiecto inhesionis.

17 **QUARTA CONCLVSIO.** Materiæ, quæ de facto datur non poſſet eſſe ſubiectum inhesionis, ſeu cauſa materialis duplicis formæ ſubſtantialis, neque duplicis modi vnionis adhuc de potentia Dei abſoluta. Adhuc P. Vaſquez in hac conſolutione, quam ratione euidenti probare non præſumo, ſed tantum probabili coniecturâ, quam expono: Materiæ prima non habet capacitatem ſuſtinenti duas formas ſimul, ergo neque ſupernaturaliter poterit illas recipere. Conſequentia ex iam dictis legitima eſt, antecedens probò: nullum eſt fundamentum ad tribuendam materiæ hanc virtutem recipiendi duas formas ſimul: ergo non eſt tribuenda. Probo antecedens: ex eo quod materiæ poſſit ſucceſſiuè recipere, non inferitur poſſe ſimul, quia maior virtus requiritur ad ſuſtinentandam ſimul duplicem formam, quam ſucceſſiuè, ſicuti ex parte efficientis maior virtus requiritur ad producendum ſimul duplicem effectum, quam ſucceſſiuè: ergo nullum eſt fundamentum quod hanc virtutem in materiæ ſuadeat, quia ſi aliquod eſſet, deberet ſumi ex virtute, quam habet ad recipiendas ſucceſſiuè plures formas. Conſequentiam prioris enthymematis probò: quia ſicut iuxta bonam Philoſophiam non ſunt multiplicandæ entitates ſine fundamento, ſic in eadè entitate non ſunt virtutes multiplicandæ, neque eadem eſt extendenda ſine poſitiuo fundamento circa effectus, qui maiorem virtutem exigunt, aliàs poſſum ego dicere mulcam habere virtutem inchoatam ad producendum Angelum, & alia ſimilia ſine fundamento conſingere.

Obiicit. Plures eſſe virtutes ad cuius cognitionem fundamentum non habemus: ergo ex eo quod non inueniamus fundamentum, non debemus negare virtutem occultam, cuius fundamentum forſan nos ignoramus. Reſp. admiſſo antecedenti negando conſequentiam, quia licet hæc regula non apparet fundamentum, ex quo hæc virtus nobis innotet: ergo non eſt, non fit inſalubilis, imò certum fit aliquando deficere, tamen ut plurimum eſt vera, & hic, & nunc moraliter certa; nos autem ubi demonſtrationem non habemus prudenter iudicamus iuxta communiter accidentia, quia iuxta hunc modum eſt minus errandi periculum, quam ſi abſolutè virtutes ſine fundamento concederemus, neque quia aliquando deficiat illa regula, cum ut plurimum vera exiſtat, debemus iudicium ſuſpendere, aliàs plurimas queſtiones indeciſæ remanerent, ſed prudentia cenſetur, hic & nunc contingere, quod communiter accidere ſolet, & non quod raro euenit, licet poſſe aliter rem ſe habere aliquam formidinem pariat aſſenſui, ſine qua non ego conſolutionem præcedentem trado.

18 **QUINTA CONCLVSIO.** Materiæ prima quæ de facto datur poſſet vniri duplici formæ, dummodo non ultra vniam formam, & vnicum modum vnionis ex illo educatur. Poſitiuum huius conſolutionis docuit Soar. cum aliis, quos cum illo reſuli, qui ſine diſtinctione inter vnionem, & inhesionem docent materiæ primam poſſe habere multiplicem formam. Negatiuum docet Vaſquez, & probatum eſt conſol. præcedenti, utrumque & præcipue poſitiuum quod probatum non eſt oſtendo ex principiis Patris Vaſquez diſp. 29. citata num. 25. & ex doctrina Caiet. ibi reſolati, quam ipſe Vaſquez approbat. Reſert citato loco ſapientiffimus Pater Caietanum concedentem Scoto effectum non poſſe dependere à duplici cauſa totali, & aliter inde non ſequi eandem naturam non poſſe à pluribus perſonis terminari, eo quod diuerſo modo dependeat natura à ſuppoſitis alienis, quam effectus à cauſa efficienti, natura enim à ſuppoſito, à quo terminatur, potius pendet inſtar relatiui, quam ſicut effectus ab efficiente, quare ſicut relatio poſſet eſſe ad plures terminos, ita etiam eadem natura poſſet à pluribus perſonis terminari. Hæc ſunt Caietani verba ex Vaſquez tranſlata. Deinde in confirmationem huius doctrinæ ſic ſcribit Vaſquez: *Natura ita terminatur ab vna perſona aliena ut ſolum terminetur tanquam à totali termino ſecundum entitatem, hoc eſt, ita terminatur ab vna perſona ut in ſola illa poſſit eſſe, & ab ea ſuſtineri, & hac ſola ratione tanquam à termino totali terminatur; at verò quia non terminatur omni modo, quo terminari poſſet, ſiquidem ipſa terminari poſſet diuerſo quodam modo à qualibet perſona diuina ſeorſim, ideo dum terminatur ab vna non habet expreſſam capacitatem, quæ poſſet ab alia terminari.* Poſtea latè tradit rationem, propter quam effectus non poſſit dependere à duplici efficiente, videlicet quia ab hoc accipit eſſe, & iſto accepto, non habet quid ab alio accipiat, at verò terminata ab vna ſubſiſtencia non accipit eſſe



esse ab illa, sed quamdam terminationem, propter quod potest terminari, ab alia, & aliam accipere terminationem. Ex his principiis sic arguo. Causa quo forma, & modus unionis creentur, materia prima tantum se habet per modum puri termini respectu formæ, & modi unionis, ergo poterit terminare multiplicem unionem. Probo ex doctrina, quam supra ex Valquo retuli: tunc materia prima non acciperet esse à forma neque illi daret esse, quia supponimus creari formam, & modum unionis: ergo posset aliam unionem ad formam aliam terminare. Probo consequentiam: natura potest terminari pluribus suppositis, seu subsistentiis, quia tantum se habet ut terminus subsistentiarum, non ut causa, neque ut effectus: sed si uniones, & formæ creentur, materia tantum se habebit, ut terminus unionum ad formas, non ut causa, neque ut effectus illarum: ergo poterit pluribus unionibus terminari.

20 Rationem à priori huius conclusionis accipe. Non maior, sed eadem omnino virtus requiritur ad terminandam duplicem unionem ad formas distinctas simul, & ad terminandas easdem uniones successivè: ergo materia, quæ potest terminare successivè potest utramque simul terminare. Antecedens probo: terminus ut terminus non est causa, sed tantum per suam entitatem terminat uniones productas ab aliis causis. Unde terminare unicam unionem dicit suam entitatem & unionem productam ab alia causa, terminare duplicem unionem, dicit eandem omnino entitatem ex parte materiæ, & duplicem unionem productam aliunde: ergo unio, quæ additur quando materia terminat unionem non oritur ex ipsa materia: ergo siue materia terminet unicam unionem, siue duplicem, nihil additur ex parte materiæ, neque illi intrinsecum, neque extrinsecum ortum ab ipsa materia, neque novum exercet influxum, sed tantum supponitur ex parte materiæ entitas capax terminandi quamlibet ex illis unionibus sine aliquo influxu orto ab illa: ergo non maior virtus requiritur ad terminandam duplicem unionem simul, quam successivè: ergo materia, quæ potest terminare successivè duplicem unionem, poterit simul utramque terminare. Hinc clarè deprehendes distinctionem inter terminationem duplicis unionis ad duplicem formam, & duplicem receptionem earundem unionum, vel formarum. Quando recipitur duplex forma, vel duplex unio in materia datur duplex receptio, utraque orta ex materiæ visceribus & ex virtute illius tanquam ex causa, quapropter maior virtus requiritur ex parte materiæ, sicut ex parte cuiuslibet causæ, ut simul duplicem edat causalitatem, circa quas conatum adhibet, & exercitium virtutis causatiæ; quando vero materia terminat duplicem unionem, creatam ad duplicem formam etiam creatam, nihil reperitur ortum ex visceribus materiæ, in quo causando suam exerceat virtutem, ac proinde non maior virtus requiritur ad terminandam simul illam duplicem unionem, quam illa quæ requiritur ad successivè utramque terminandam.

21 Obiicit. Potest Deus creare materiam, quæ sit potens terminare successivè duplicem unionem, & non simul: ergo maior virtus requiritur ad terminandam duplicem unionem simul, quam ad eandem successivè terminandam. Resp. negando antecedens propter rationem iam datam, quia terminus per puram terminationem, nihil præstat, in quo possit suam infundere virtutem, neque materia dum terminat ponit aliquem conatum, neque influxum, ut actu terminet, sicut ponit efficiens, vel ipsa poneret ad recipiendam unionem. Et sicut Deus non potest producere albedinem potentem terminare successivè visionem hominis, & equi, & impotentem utramque simul terminare, ita neque materiam quæ possit successivè, & non simul duplicem terminare unionem, non enim maiorem influxum præstat materia in uniones præcisè quatenus illas terminat, quam albedo in visiones, tam enim materia, quam albedo se habent respectu unionum, & visionum, ut purè terminos in nullo genere causæ influentes in uniones, & visiones, quas terminant, neque refert materiam esse terminum intrinsecum unionis, & albedinem terminum extrinsecum visionis, quia ratio intrinseci, vel extrinseci nullam dicit causalitatem, nullumque influxum.

22 **SEXTA CONCLUSIO.** In tota latitudine formarum possibilem nonnullæ erunt formæ substantiales, quæ absque aliqua ipsarum repugnantia possint informare eandem materiam quin una petat expulsionem alterius. Hanc conclusionem tradidit recens quidam de formis diversæ spe-

ciei, quam impugnât in formis eiusdem speciei: ego verò de omnibus idem fero iudicium. Ratio est: de conceptu quidditativo formæ substantialis abstrahentis ab existentibus, & possibilebus non est impossibilitas cum aliis formis eiusdem, vel diversæ speciei, neque prædicatum aliquod, quod per locum intrinsecum connexionem habeat cum hac impossibilitate: ergo possibile sunt formæ, quæ illa careant. Secundò nulla invenitur repugnantia in his formis, imò neque ratio aliqua, quæ suadeat formas omnes esse impossibiles, cum illam impossibilitatem solam nos docuerit experientia, quam de formis purè possibilebus non habuimus. Possent hæc formæ ex se immediatè non compossibiles præcipuè si specie differrent, esse impossibiles ratione dispositionum, quas supponerent, possent etiam dispositiones non impossibiles secum asserre, & in hoc casu simultanea informatio, & receptio plurium formarum in eadem materia ex omni capite esset naturalis, quia ex parte materiæ supernaturalis non esset, quia iam probavi. concl. i. posse dari materiam ex se naturaliter potentem plures formas sibi vnire, & recipere, neque ex parte formarum, neque dispositionum, quæ amico foedere possent in idem subiectum convenire, neque ratione agentium, quia ut dicebam num. 12. simultas formarum, quarum quælibet potest ab agenti naturali produci ratione agentium præcisè supernaturalis non eaderet; in reliquis autem eventibus quando ex aliquo capite simultas non potest naturaliter contingere etiam ex aliis capitibus naturaliter non repugnaret: verbi gratia, cum materia ex se potens terminare unionem duplicis formæ impossibilis, utramque de facto simul terminaret, illa simultas absolutè supernaturalis dicenda esset non ratione materiæ; sed ratione formarum ex se impossibilium.

23 Obiicit. Materia prima semper est sufficienter informatiâ uniuersâ formâ adæquatâ: ergo non indiget aliâ formâ: ergo superflua erit illi informatio illius formæ. Confirmatur: materia prima ideo recipit formam, quia indiget illa, sed non potest indigere duplici formâ: ergo non potest illam recipere. Resp. materiam primam sufficienter informari univâ formâ, ex quo infertur aliam non esse illi necessariam, non tamen infertur esse superfluum, plura enim, quæ necessaria non sunt, valde vtilia existunt, lux enim acri non est necessaria, non tamen illi superflua est. Secundò etiam si secunda forma nullam materiæ utilitatem asserret, esset necessaria composito, quod constituit, & ex hoc capite non inutilis esset, neque superflua, neque ex hoc capite repugnaret, id enim inutile, & superfluum dicitur absolutè quod omni utilitate caret, non quod uni, vel alteri entitati non vtile est. Ad confirmationem Respondeo dato materiam vnâ recipere formam, quia illa indiget, & concessio, quod aliâ non indigeat, negando, non posse recipere aliam, non enim rectè infertur, materia recipit hanc formam, quia indiget illâ: ergo non potest recipere aliam, quâ non indiget, potest enim recipere vnâ formam propter indigentiam, & aliam propter potentiam, seu indifferentiam, quam habet ad illam, sicut acri recipit proprias qualitates, quia indiget illis, & recipit lucem, quâ non indiget, quia capax est recipiendi illam.

### §. III.

#### De formis accidentalibus iudicium fertur.

24 **P**lures formas accidentales inter se disparatas posse simul reperiri in eodem subiecto media inhesionem & media informatione sensibus percipimus, sentimus enim albedinem, dulcedinem, & præsentiam in eodem subiecto. Formas contrarias, verbi gratia calorem, & frigiditatem esse impossibiles, & mutuò se expellere suadet experientia. Hanc impossibilitatem in naturam formarum ferè omnes reducant, ex eo enim quod disponent ad formas inter se immediatè oppositas, talem naturam fortiuntur, ut eandem impossibilitatem inter se æmulentur, quam formæ, ad quas disponent, sortiuntur. Formas adæquatas eiusdem speciei, & eiusdem omnino rationis esse etiam impossibiles monstrat experientia, non enim possum ego habere duplicem præsentiam, duplicem quantitatem, aliavè huiusmodi accidentia. Nonnulli reuocant concedere has formas ex natura sua esse impossibiles per oppositionem aliquam, quam inter se habeant, & asserunt totam illarum impossibilitatem oriri ex incommensurabilitate



§. I.

De effectu primario.

incapacitate subiecti, quod non potest duplicem formam accidentalem eiusdem omnino rationis sustinere. Censeo impossibilitatem formarum accidentalium non oriri ex incapacitate subiecti, quia si ex hac oriretur, neque diuinitus possent in eodem subiecto reperiri, ut probauimus supra, sed fide certum est in Eucharistia habere corpus Christi plures praesentias definitiuas eiusdem speciei: ergo naturalis ipsarum repugnantia non oritur ex repugnantia subiecti. Ex praesentis definitiuus gradum facio ad praesentias circumscriptiones, etiam si specie distinguantur, quod ego non censeo, quas etiam posse in eodem subiecto reperiri fert communis sententia. Neque hac repugnantia praecise ex defectu virtutis agentium potest oriri, quia cum ego virtutem habeam ad acquirendam per motum progressum praesentiam in hoc spatio, & extrinsecum agens virtutem habet ad imprimendum mihi impulsus, quo in alio spatio praesentiam distinctam acquiram, si termini ratione sui, vel ratione subiecti non repugnant, simul a diuersis virtutibus producerentur. Ex hoc infero: repugnantiam horum accidentium oriri ex impossibilitate, quam inter se habent, ratione cuius in genere cause formalis ad inuicem se expellunt.

25 Censeo similiter impossibilitatem accidentium contrariorum caloris, & frigiditatis oriri tantum ex oppositione ipsorum, & nullo modo ex incapacitate subiecti. Probo hanc conclusionem a paritate accidentium eiusdem speciei, quae tantum opponuntur ratione sui, & non ratione subiecti, & a paritate accidentium disparatorum albedinis, & caloris, in quibus, quia deficit formalis oppositio, nulla reperitur, quod est signum tantum impossibilitatem accidentium oriri ex oppositione formali ipsorum. Ratione etiam eandem paritatem confirmo. Non maior virtus requiritur ex parte subiecti ad recipiendam nigredinem simul cum albedine, quam ad recipiendum calorem simul cum eadem albedine cum supposita iam receptione albedinis ex parte subiecti non requiritur maior virtus ad effectum, qui perfectior non est, sed supposita iam albedine, nigredo neque illius receptio, quae esset eadem si albedo non supponeretur, non est perfectior calore, & receptione illius: ergo supposita iam albedine in subiecto, ex parte subiecti, non maior virtus requiritur per se loquendo independentem ab impossibilitate formarum, ad coniungendam nigredinem per receptionem cum albedine quam ad coniungendum calorem cum eadem albedine: sed potest coniungere calorem cum albedine: ergo praecise si aliud non sit impedimentum poterit subiectum ex se coniungere nigredinem cum albedine, sicuti componit calorem, & albedinem. Dices formam arguendi non esse bonam, quia maior virtus requiritur ad producendam muscam, quam ad producendum hominem, nihilominus valet homo hominem producere, & muscam producere non poterit. Respondeo me non arguere: potest subiectum recipere calorem: ergo poterit recipere albedinem, ad quam non requiritur maior virtus, sed supposita iam ex parte subiecti virtute ad utramque qualitatem recipiendam, inferre ex eo quod non maiorem conatum impendat virtus passiva in receptione huius qualitatis, quam illius, posse componere quatenus est ex se receptionem huius in qua maiorem conatum non impendit cum receptione, cum qua componit aliam, in qua maiorem vel saltem aequalem virtutem in actu secundo exercet.

26 Ex hoc infero: posse reperiri in eodem subiecto duplicem formam accidentalem, siue eiusdem speciei, siue contrariam, quia quoties impossibilitas tantum oritur ex mutua ipsarum oppugnatione, & non ex incapacitate subiecti, illa non obstat de potentia Dei absoluta possunt formae in eodem dari subiecto. Haec de formis, quae opponuntur tantum ratione subiecti, sunt tamen aliae formae accidentales, quae obiecta opposita respiciunt sicuti amor, & odium, assensus, & dissensus, quarum oppositionem explico Controu. 5. de anima Punct. 3.

PUNCTUM III.

De effectibus causa formalis.

Duplex formalis effectus vulgo circumfertur, primarius, & secundarius; hic negatiuus, ille positiuus, de utroque sigillatim disputabo.

1 Dixi saepe effectum formalem primarium formae nihil aliud esse, quam totum compositum, quod dicitur effectus formae, ex qua tanquam ex causa formali intrinseca componitur. Causalitas, quam formae assignauimus totum suum esse effectum suadet, quia cum hac sit vnio, & quod ex vnione resultat sit totum compositum, hoc effectum dicimus, in quem fertur causalitas formae, vnio videlicet. Deinde causa intrinseca causat, semetipsam exhibendo effectui quem componit: sed quod componit forma, & cui seipsam exhibet est totum: ergo totum est effectus formalis formae. Hoc effectui formali assignato optime subsistit illud tritum proloquium, quo dicitur impossibile esse dari formam in subiecto sine formali effectui, quia cum totum nihil aliud sit, quam materia, forma, & vnio, eo ipso, quod detur forma vnita subiecto, datur materia, forma, & vnio, & necessarii datur totum, quod ab his entitatibus simul sumptis non distinguitur. Neque quidquam aliud potest inueniri quod possit esse effectus, cum sit positiuus, & forma nihil aliud positiuum causet per vnionem ad materiam, nihil enim inuenitur postquam forma est vnita materiae praeter compositum, materiam, formam, & vnionem, sed forma non est causa materiae seorsim sumptae, neque vnionis seorsim, neque materiae, & vnionis, neque ipsius formae seorsim sumptae, quia nullam ex his entitatibus intrinsece componit, neque extrinsece causat; ergo tantum potest esse causa totius, seu materiae, formae, & vnionis simul sumptarum, quae a toto non distinguuntur: ergo nullus effectus positiuus formae potest dari praeter totum: ergo effectus formalis, qui positiuus est, non distinguitur a toto composito.

2 Ex his inferes contra recentiores, quibus patrocinatur Rub. materiam ut informatam non esse effectum formalem formae, quia materia ut informatam non est totum, sed tantum dicit materiam cum informatione, seu materiam habentem formam, forma autem neque est causa materiae, neque informationis, seu habitationis formae, ut modò expendebam. Si hoc teneas, videbis saepe multos vanè terri vanis difficultatibus, quas rem non percallentes petunt ex negatione effectus formalis posita forma in subiecto, saepe enim anguntur quomodo visio inharens lapidi, non illum constitueret videntem, ex quo inferri existimant non illi tribuere effectum formalem, & quomodo gratia habitualis in purè homine filium adoptiuum constituat, & hunc effectum Christo Domino non tribuat. Semper enim forma suum effectum formalem tribuit, quod est compositum, sed quia eadem forma cum diuersis subiectis diuersa composita constituit, hinc est, quod diuersos fortitur effectus formales. Haec ratione visio, etsi lapidi posset vniri non illum constitueret videntem, quia videns dicit compositum ex visione, & natura animalis, & non quodcumque compositum constitutum ex visione, & alio quodcumque subiecto. Similiter filius adoptiuus dicit compositum ex gratia habituali, & subiecto, quod non sit filius naturalis, & gratia habitualis vnita Christo Domino non componit concretum, cuius subiectum quod est hoc suppositum Christus, filius naturalis non sit, & ita non constituit filium adoptiuum quando vnitur Christo: quando verò vnitur homini puro constituit quoddam concretum sanctum, cuius subiectum non est filius naturalis & ita illius effectus formalis, seu totum, quod resultat ex homine & gratia est filius adoptiuus. Si verò eadem gratia lapidi vniretur illius effectus formalis, non esset totum, quod sanctum diceretur, quia sanctum dicit concretum constans ex gratia habituali, & natura intellectuali.

3 Inferes, ex his nihil aliud esse formam suum effectum formalem tribuere subiecto, quam cum illo totum constituere, in quo sensu posset etiam dici, si ita ferret usus, materiam suum effectum materialem tribuere formae, quia sicut forma cum materia componit totum, ita materia cum forma idem componit, & utraque est de essentia totius. Est tamen specialis ratio, propter quam praevaluit usus, ut totum potius diceretur effectus formalis formae, quam effectus materialis materiae, etsi utroque modo dici posset. Haec est indifferentia, quam habet materia, quae de